

moveri videntur ea, quae stant: et quodam obtutu oculorum duo pro uno lucernae lumina. Quid, dicam, insanis, quid ebriis, quam multa falsa videantur? Quod si ejusmodi visis credendum non est, cur somniis credatur, nescio. Nam tam licet de his erroribus, si velis, quam de somniis disputare: ut ea, quae stant, si moveri videantur, terrae motum significare dicas, aut repentinam aliquam fugam: gemino autem lucernae lumine declarari, dissensionem ac seditionem moveri.

Ibid. 62. Quis dicere audeat, vera omnia esse somnia? *Aliquot somnia vera*, inquit Ennius; *sed omnia non est necesse*. Quae est tandem ista distinctio? quae vera, quae falsa habet? et si vera a deo mittuntur, falsa unde nascuntur? Nam si ea quoque divina, quid inconstantius deo? Quid inscitius autem est, quam mentes mortalium falsis et mendacibus visis concitare? Sin vera visa divina sunt; falsa autem et inania humana: quae est ista designandi licentia, ut hoc Deus, hoc natura fecerit potius, quam ut aut omnia deus, quod negatis, aut omnia natura? Quod quoniam istud negatis, hoc necessario confitendum est. Naturam autem eam dico, qua nunquam animus insistens, agitatione et motu esse vacuus non potest. Is quum languore corporis nec membris uti, nec sensibus potest, incidit in visa varia et incerta, ex reliquiis, ut ait Aristoteles, inhaerentibus earum rerum, quas vigilans gesserit, aut cogitarit: quarum perturbatione mirabiles interdum existunt species somniorum. Quae si alia falsa, alia vera: qua nota internoscantur, scire sane velim. Si nulla est: quid istos interpretes audiamus? Sin quaequam est: aveo audire, quae sit. Sed haerebunt.

Ibid. 67. Multa etiam sunt a te ex historiis prolata somnia, matris Phalaridis, Cyri superioris, matris Dionysii, Poeni Hamilcaris, Hannibalis, T. Decii: pervulgatum jam illud de praesule; Gracchi etiam; et recens Caeciliae, Balearici filiae, somnium. Sed haec externa, ob eamque causam ignota nobis sunt; nonnulla etiam ficta fortasse. Quis enim